

Capitula artis coraliorum

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis Patris Filii et Spiritus Sancti. Beatae Mariae semper Virginis ac Beatorum Apostolorum Simonis et Judae, Beati Laurentii Martiris Protectoris Ecclesiae Januensis, ac Beati Georgii victoriosissimi Vexilliferi Comunis Januae et totius Curiae Caelistis Amen. Ad honorem et gloriam Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Sacrique Romani Imperii etc., ac infrascriptae artis coraliorum augmentum.

De non utendo aliis usibus vel ordinibus quam in capitulis annotatis

Cupientes tollere cabilla conspirationes iuramenta promissiones uniones et ligas quas ad invicem faciunt homines artistae seu artifices civitatis et burgorum Januae pro eorum proprio commodo et ad damnum et lesaonem ac detrimentum totius Reipublicae Januensis: statutum et ordinatum est. quod si homines dictae artis coraliorum de cetero facerent orctenus vel in scriptis aliquos ordines sive usi fuerint ordinibus qui essent contra bonum publicum nisi tantum quantum in praesenti volumine, quod consules dictae artis cadant in poenam a libris quinque usque in decem, quilibet ex consiliariis a libris tribus usque in sex, et quilibet alius dictae artis a libris duabus usque in quattuor pro quolibet et qualibet vice et ultra secundum formam juris et capitulorum Communis Januae.

De Consulibus et Consiliariis Eligendis

Volentes ordinem dare hominibus dictae Artis sub quo dicta eorum ars bene et diligenter gubernetur, statutum et ordinatum est quod annuatim per homines

dictae Artis tempore ad ipsis statuendo eligantur duo Consules et quattuor Consiliarii tantum qui curam habeant de iis omnibus quae arti eorum pertineant et opportune provideant quod Capitula contenta in praesenti volumine effectualiter observentur.

De obediendo consulibus

Item quod unisquisque dictae Artis teneatur et debeat parere et obedire mandatis Consulum dictae Artis in iis quae ad ipsam artem spectant licitis ac honestis. Et hoc sub poena a soldis quinque usque in vigintiquinque arbitrio Consulum, et Consiliariorum pro quolibet contrafaciente et totiens quotiens fuerit contrafactum in cognitione praefatorum Consulum et Consiliariorum.

De ratione reddenda per consules de veteri consulibus et consiliariis novis

Item quod Consules dictae Artis qui de proximo creabuntur et pro tempore erunt teneantur et debeant reddere rationem novis eligendis Consulibus et Consiliariis de iis omnibus quae ad manus ipsorum pervenerint occasione dictae artis infra dies quindecim post exitum eorum Consulatus sub poena florenorum quattuor.

De balia Consulum in quaestionibus decidendis

Item quod Consules dictae Artis possint ius reddere et rationem facere inter homines dictae Artis usque in quantitatem librarum decem Januinarum et ab inde infra de et pro rebus spectantibus ad dictam Artem et dependentibus ab ea tantum aliquo alio Capitulo in cantrarium faciente non obstante.

De Iuramento praestando per homines Artis praedictae eorum consulibus

Item quod omnes et singuli dictae Artis teneantur et debeant sacramentum praestare et facere ipsis Consulibus et Consiliariis de observandis statuis et ordina-

mentis praesentibus semel in anno tantum sub poena a soldis quinque usque in decem in cognitione et arbitrio Consulium et Consiliariorum praedictorum.

Quod Consules et Consilarii teneantur rixantes concordare

Item teneantur Consules et Consilarii rixantes de dicta Arte infra triduum concordare sub poena soldorum viginti pro quolibet eorum et qualibet vice si fuerint negligentes in aliquo praedictorum. et quilibet ex rixantibus ipsis Consulibus et Consiliariis ac mandatis eorum licitis et honestis debeant obedire sub poena florenorum duorum pro quolibet contrafaciente et inobediente.

De fraude non committenda in Arte praedicta

Item quod si aliquis de dicta arte cuiuscumque conditionis vel gradus existat sive magister sive laborator inventus fuerit fraudem aliquam vel baratariam aut etiam furtum vel latrocinium committere, tunc incontinenti facta fide legitime de dictis fraude barataria vel latrocinio condemnatur et puniatur per Consules et Consilarios dictae Artis prout et usque in eam quantitatem eis videbitur. Et ultra privetur ad exercitio dictae Artis per certum tempus arbitrio ipsorum Consulium et Consiliariorum secundum qualitatem et quantitatem delicti: salvis semper aliis poenis a iure et ex forma Capitulorum Januae Statutis.

Ne pignora capi Prohobeantur

Item quod aliqua persona de dicta Arte non prohibeat nec prohibere debeat nuncio ipsorum Consulium qui aliqua occasione licita mandaverit pignorari aliquem de dicta Arte quominus dictus Nuncius capiat dictum pignus sub poena, soldorum quinque, Januinarum pro quolibet contrafaciente seu prohibente et qualibet vice.

De condemnationibus faciendis et exigendis

Item quod Consules et Consilarii dictae Artis possint super praedictis omnibus auctoritate propria et sine licentia alicuius Magistratus inquirere veritatem et inquisitionem facere et condemnare et punire contrafacientes secundum formam

*praesentium statutorum et poenas exigere et recuperare ab illis quos condemna-
bunt et ad soldum eos compelere remediis iuris et ad omnia et singula quae in pre-
sentibus statutis continentur observandum. Et banna sive poenae quae exigentur
per ipsos Consules et Consiliarios dividantur pro dimidia operi portus et moduli et
pro reliqua dimidia dictae Arti salvo si accusator intervenerit tunc pro tercio divi-
dantur.*

Quod condemnati solvant infra quindecim dies

*Item quod qui fuerit sive fuerint per ipsos Consules et Consiliarios conde-
mnati vigore praesentium Capitolorum vel alicuius eorum teneatur sive teneantur
et debeant solvere infra dies quindecim proxime venturos a die condemnationis
factae computandos.*

De condemnationibus exigendis et applicandis

*Item quod Consules dictae Artis teneantur exigere omnes condemnationes
factas tempore Consultatus ipsorum et partem Officio portus et moduli contingen-
tem consignare Dominis Patribus Communis sub poena solvendi de suo proprio.
Item quod omnium poenarum et totius eius quod exigitur vigore et occasione prae-
sentium Capitolorum medietas sit operis portus et moduli et alia dictae Artis. Salvo
ubi fieret mentio de accusatore tunc dividatur ut supra.*

De taxatione facienda per Consules et Consiliarios

*Item quod omnes et singuli magistri de dicta arte teneantur et debant quo-
tienscumque eis vel alicui eorum per Consules dictae artis requisitum fuerit dare et
consignare ipsis Consulibus a soldis quinque usque in viginti Januinorum conver-
tendos in utilitatibus et rebus necessariis dictae arti prout ipsis Consulibus et Con-
siliariis visum fuerit dum tamen haec solutio non excedat in aliquo Consulatu sum-
mam dictorum soldorum viginti pro quolibet dictae Artis.*

De non incantandis domus vel appothecis

*Item quod aliqua persona dictae Artis cuiuscumque conditionis existat non
audeat vel praesumat adimere vel adimi facere per se vel alium seu alios eius nomi-*

ne aliquam domum vel apothecam in qua aliquis dictae Artis habitet vel moretur seu laboret. Sub poena librarum decem, Januinarum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice et applicanda ut supra liceat tamen non obstantibus praedictis cuiusque domino talis domus de re sua disponere prout sibi placuerit.

Ne quis dictae Artis ad se vocet euntem vel exeuntem ab appoteca vel ad appotecam alterius

Item quod aliquis de dicta Arte cuiuscumque conditionis existat sive magister sive magistri sive famulus discipulus laborator vel familiaris non audeat vel praesumat requirere vel ad se vocare mercatorem volentem emere aliquam quantitatem coralliorum laboratorum vel non laboratorum cuiusque conditionis et qualitatis existat ipso mercatore existente in seu coram appotheca sive ante appothecam aliquius dictae artis et si quis contrafecerit seu inventus fuerit contrafecisse condemnatur seu condemnari debeat per Consules dictae artis a soldis decem usque in quadraginta Januinarum pro quolibet et qualibet vice applicanda in cognitione ut supra.

Ne forenses qui non didicerint artem in civitate Januae possint eam facere

Item quod nullus forensis qui non didicerit dictam artem in civitatem Januae cum aliqua dictae Artis et non steterit ad illam adiscendam per spacium temporis in presentibus Capitulis ordinatum ad cartham possit vel valeat exercere dictam artem nec appothecam pro magistro dictae artis aperire sub poena florenorum centum applicanda ut supra salvo si dictus talis forensis dictam Artem didicerit et ad cartham steterit cum aliquo ex dictis magistris ut supra. Quod tunc possit et debeat finito tempore servitutis praedictae pro magistro acceptari et tanquam magister aperire appothecam, possit tamen dictus talis forensis pro laboratore ad jornatam laborare cum aliquo ex dictis magistris si forte dictam Artem didicisset extra Januam non obstantibus predictis.

De famulis non accipiendis nisi cum instrumento ad terminum infrascriptum

Item quod aliquis magister de dicta Arte non possit de cetero modo aliquo accipere seu accipi facere aliquem famulum seu discipulum causa manendi secum

ad adiscendum et operandum dictam artem ad minus tempus quam sint anni septem cum publico instrumento. Ita quod ille discipulus habitare vel morari non possit ultra dies quindecim in domo illius cum quo se voluerit concordare absque instrumento. Et intelligatur servire et stare ad dictam Artem adiscendam et operandam dictis annis septem continuis. Si quis vero contrafecerit qualibet vice in libris decem condementur applicandis ut supra nec possit dictus famulus dictam Artem exercere nisi steterit et se concordaverit ut supra. Ita tamen quod praedicta non habeant locum inter filios civium cum inferius aliter sit provisum.

De alienis famulis non receptandis

Item quod aliquis de dicta Arte non audeat vel praesumat receptare aliquem famulum alicuius apothecarii Dictae Artis nisi primo serviverit annis septem ut supra et modo praedicto, nec eidem tali famulo si culpa vel defectu ipsius esset dare aut praestare auxilium consilium vel favorem nec aliquod laborerium clam vel palam nisi de voluntate magistri sui: Consulis et Consiliariorum dictae Artis processerit. Sub poena a libris decem usque in viginti quinque Januinarum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice applicanda ut supra. Et praedicta procederent et non aliter.

De non dando ad laborandum laboratoribus dictae artis dare debentibus vel obligatis ut infra

Item quod aliqua persona dictae Artis non det ad laborandum alicui laboratori dictae Artis dare debenti aliquid alicui de dicta Arte postquam de ipso debito fuerit cognitum per Consules et Consiliarios dictae Artis si debitum fuerit de libris decem et abinde infra, si vero fuerit de dictis libris decem supra eo casu postquam fuerit cognitum per dominos Vice Duces. Et hoc donec dicto tali recipere debenti satisfecerit vel cum eo fuerit in concordia.

De non exercendo dictam artem nisi ut infra

Item quod nullus possit exercere dictam Artem nec esse de arte praedicta nisi serviverit dictae arti per dictos annos septem ut supra exceptis filiis alicuius magistri dictae artis qui sine aliqua exceptione dummodo possint et sciant si sibi eligerint dictam Artem exercere possint et eis liceat sine aliquo impedimento vel solutione.

De eundo ad luminaria

Item quod quilibet dictae Artis teneatur ire cum suis Consulibus ad luminaria Beatorum Apostolorum Simonis et Judae cum suis Brandonis. Sub poena florenorum quinque pro quolibet vice, nec teneantur aut cogi possint Consules et homines Artis ire ad aliquod Branium vel luminara Immo ab ipsis omnibus sint paenitus exempti et absoluti usque quo dicta Artis creverit et aliud ordinatum fuerit per Consules et homines dictae Artis.

De festivitibus celebrandis

Item quod omnes et singuli dictae Artis teneantur et debeant celebrare festiuitates praeceptas ad ecclesia et praecipue festum Sancti Rochi. Sub poena floreni unius auferenda a quolibet contrafaciente totiens quotiens fuerit contrafactum applicanda ut supra.

De sponsis associandis

Item quod quum contingit aliquem dictae Artis aut filium alicuius ipsius Artis uxorem ducere vel aliquam eius filiam dare ad nuptias teneantur homines magistri et laboratores dictae Artis dictas uxores sponas seu filias sociare ut moris est sub poena soldorum decem pro quolibet contrafaciente et qualibet vice applicanda ut supra.

De societate facienda pro sepulturis

Item quod si quis dictae Artis mori contingent teneantur magistri et laboratores ipsius Artis ire ad domum illius defuncti ipsumque ad Ecclesiam cum Consulibus associare. Si quis autem contrafecerit condemnetur in soldis quinque usque in viginti quinque per Consules dictae Artis totiens quotiens contrafactum fuerit.

Quod Januenses filii stare debeant ad dictam Artem adiscendam per quattuor annos tantum

Verum quia inconueniens ac incongruum esset cives Januae quorum patres et maiores sui in praesenti civitate Januae annos quinquaginta vixerint pari conditio-

ne tractari Ideo statutum et decretum est quod cives nati in praesenti civitate Januae et eorum successores possint et eis liceat exercere dictam artem omni exceptione remota dummodo dictae Arti adiscendae annos quattuor dederint nec ultra dictos annos quattuor dictae Arti servire teneantur. Quod idem censeatur et intelligatur de fratribus magistrorum dictae Artis Statutum atque decretum.

De iis qui coralios furantur

Item quia plerumque compertum est famulos et laboratores qui in aliena officina sive apotheca dictam Artem exercent, secum occulte deferre coralios: ut postea si eis videbitur possint commutare cum illis quos eorum magistri laborant: ex quo et fraudes quotidie committuntur et maxima damna sequuntur. Ideo volentes huiusmodi malicis occurrere, et huic communi iacturae consulere: statutum atque decretum est quod omnes et singulae personae quae coralios laborari facient siue sint magistri dictae Artis sive alius cuiusvis conditionis existat possint et valeant ac eis liceat et licitum sit quancumque via eis fuerit possibile et magis expediens perquirere et seu perquiri facere omnes famulos et laboratores quos habuerint et in eorum vestibibus et diploide ac camixiis perscrutari, et oculata fide inspicere si tales coralios secum occulte deferunt. Et si quis inventus fuerit in praedictis deliquisse liceat dictae tali personae sive magister sive alius quisvis fuerit dictos tales coralios adimere et auferre, nec ad eos restituendos ullo modo cogi possit. Et ultra delinquens mulctetur ultra amissionem coraliorum a floreno uno usque in quinquaginta arbitrio Consulium et Consiliariorum applicando ut superius dictum est et ultra privetur dicta arte nec tamen ob praedicta eximatur a poenis contra eum a jura permissis, et si quis tantum sibi assumeret ut tali querere et investigari non permitteret, habeatur statim facta contradictione vel obiectione ut supra ac si deliquisset et in ipso crimine actualiter fuisset deprehensus et Ideo puniatur ut supra.

Quod cives januae quorum maiores per quinquaginta annos in civitate vixerint artem exercere possint et ex magistris dictae artis sibi assumere

Item quod quaecumque persona volens laborari facere coralios quorum maiores ut supra in praesenti Civitate Januae annos quinquaginta vixerint possit eique liceat et licitum ac permissus sit conducere unumquemque magistrum dictae Artis et opera ipsius pro suis coraliis laborandis absque licentia et mandato Consulium et Consiliariorum dictae Artis et eorum mandatis in aliquo non obstantibus Immo sub tali prerogativa ut supra tali personae concessa et permissa intelligantur praesentia Capitula condita et dictae Arti concessa et non aliter.

Millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo die secunda Martii.

Confirmatio

Illustris et excelsus Dominus Augustinus Adurnus Ducalis Januensium Gubernator et Locumtenens et Magnificum Consilium Dominorum Antianorum in legitimo numero congregatum. Audito Antonio de Plagia uno ex Arte coraliiorum nomine dictae Artis instante ac visis Capitulis suprascriptis et auditis praestantibus viris Francisco Navono et Melchione de Nigrono duobus ex Magnificis Dominis Antianis quibus revisio et examinatio dictorum capitulorum commissa fuerat referentibus Capitula ipsa vidisse et examinasse: et aliqua quae in praesenti volumine descripta non sunt annullasse: et quaedam etiam iuxta eorum iudicium ad utilitatem publicam correxisse et emendasse: et tandem Capitula suprascripta tamquam honesta approbari suadentibus omni modo via iure et forma quibus magis ac melius potuerunt ac possunt: approbaverunt omnia et singula Capitula suprascripta in omnibus prout iacent. Mandantes Egregiis Vice Ducibus Communis Januae praesentibus et futuris quatenus Capitula ipsa servent et iuxta morem faciant ab omnibus observari sub poena sindicamenti.

Contra appaltum coraliiorum

*Die decimaquarta Martii
millesimi quadringentesimi nonagesimi secundi*

Illustris et Excelsus Dominus Augustinus Adurnus Ducalis Januensium Gubernator et Locumtenens Et Magnificum Consilium Dominorum Antianorum Communis Januae in legitimo numero congregatum praesente et ita fieri laudante Magnifico Officio Baliae citra omnino damnationem ac praeiudicium cuiuscumque auctoritatis privilegii praerogativae ac iurisdictionis et iurium pertinentium Excelso Communi Januae in appaltu et seu censu ac piscatione coraliiorum mazacharesii virtute quorumquunque decretorum ac constitutionum dicti communis sed potius ad confirmationem et ampliationem ipsarum Constitutionum et iurium dicti communis. Statuerunt et inviolabiliter sanxerunt ac decreverunt quod quicumque dictum appaltum et seu piscationem transactis Kalendis Maii proxime venturi acceperit et seu in eo vel ea clam vel palam recte vel indirecte se intromiserit vel aliquo modo immiscuerit sive per se se solum vel aliis associatum et seu etiam nomine alterius is quicumque sit et quocumque nomine vel praetextu colore vel causa se intromiserit vel immiscuerit: intelligatur et sit ipso facto obligatus et bona omnia sua obligata Communi Januae pro ducatis mille solvendis dicto Communi vel agentibus pro eo. Et pari modo obligati intelligantur et sint quicumque auxilium consilium vel favorem praestiterit alicui in dicto appaltu et seu piscatione se immiscenti et intromittenti tam in mittendo lembos sarciam biscotum homines pecuniam aliam cuiuscumque nominis rem ac etiam si scripserit aut receperit literas et demum quicumque se intromittens vel quecumque consilium vel favorem praestans scribendo vel

mittendo obligatus ut supra intelligatur ad dictam summam ducatorum mille. Declarantes quod omnes se intromittentes vel auxilium consilium vel favorem etc. ut supra praebentes id fecerint una vice intelligantur obligati pro toto anno et complemento anni. Cuius quidem decreti voluerunt fieri proclama per loca civitatis consueta ut moris est.

Die ea.

Proclama

Parte Illustris et Excelsi Domini Augustini Adurni Ducalis Januensium Gubernatoris et Locumtenentis. Et Magnifici Consilii Dominorum Antianorum ac Magnifici Offici Baliae Communis Januae significatur universis. Quemadmodum nuper conditum fuit decretum in palatio cum solemnitatibus debitis quod quicumque in appaltu seu piscatione coraliorem mazacharesii se intromittet vel aliquo modo immiscebit elapso praesenti appaltu qui finiturus dicitur Kalendis Maii proxime venturi teneatur et obligatus sit solvere Comuni Januae seu deputatis ab eo ducatos mille singulis annis, et quicumque etiam auxilium consilium vel favorem lembos viros sarciam pecuniam victualia vel alias quascumque res ad conductores appaltus et seu piscationem mittet vel mitti faciet aut scribet eadem obligatione teneatur prout principalis piscator et conductor et in omnibus prout in ipso Decretu manu mei Cancellarii ifrascripti continetur. Quae omnia ideo per praesens Proclama publicantur ne quis ignorantiam praetendere possit.

Die Vigesima Martii.

Relatio

Peregrus de Pardis retulit se proclamasse hodie Proclama suprascriptum publice alta et intelligibili voce in Bancis et per loca publica et consueta civitatis.